

operibus gratiam, et litteræ spiritum. Alioqui enim etiam littera Evangelii, sine spiritu et gratia, iram operaretur, et occideret, ut jam sæpe diximus.

Septimum discrimen, quod item oritur ex secundo, illud est, quod lex Mosis, lex timoris et servitutis fuit, Evangelium lex amoris et libertatis. Roman. VIII. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Galat. IV. *Hæc enim sunt duo testamenta, unum quidem in monte Syna, in servitute generans, quæ est Agar.* Et infra: *Itaque fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit,* II Timoth. II. *Non dedit nobis spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis* (5).

Sed hoc discrimen fusius explicabimus in sequenti capite. Interim illud annotasse satis erit, legem Mosis dici legem timoris et servitutis, quoniam legis mandata sine gratia Dei, quam Moses dare non potuit, reos constituunt homines, et pœnæ obnoxios; Evangelium Christi legem esse libertatis et amoris, quoniam Christus, qui dedit mandata, dedit etiam spiritum, per quem in corde diffusa est charitas.

Octavum discrimen est, quod lex Mosis gravissima et importabilis erat. Evangelium Christi jugum suave et onus leve. Sic enim de lege Mosis B. Petrus loquitur Actor. xv. *Quid tentatis imponere jugum super cervicem discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus?* De lege autem sua Christus Matth. XI. *Tollite jugum meum, inquit, super vos. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (2). Oritur hoc quoque discrimen ex secundo. Potissima enim causa cur lex nova sit levis, et lex vetus gravis, est annexa legi novæ gratia charitatis. Quod est enim durum et importabile timenti, leve est et facile diligenti. Et hanc rationem reddidit sanctus Augustinus in omnibus fere locis, ubi de hac re tractat, quæst. 146. in Exod. in lib. LXXXIII. quæst. 66. lib. de gratia et libero arbitrio, cap. 17. in lib. de natura et gratia, cap. 69. et in libro de perfectione justitiæ post ratiocinationem decimam sextam. Ubi etiam addit insignem similitudinem de pennis avium, quæ non tam premunt, quam sublevant: « Perfecta, inquit, charitas foras mittit timorem, et facit præcepti sarcinam evem, non solum non prementem onere

ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum ».

Sunt tamen etiam aliæ duæ rationes cur lex nova vere dici possit facilior veteri. Una est, quam reddunt Nazianzenus in 2. orat. de Pascha, et Chrysostomus homil. 8. de pœnitentia, quod spes retributionis longe sit major in lege nova, quam in veteri, cum jam propalata sit via sanctorum, atque aditus pateat ad regnum felicitatis æternæ. Altera ratio est, quoniam in lege veteri præcepta cæremonialia et judicialia plurima erant, et parum utilia; in lege nova paucissima sunt et utilissima: præcepta vero moralia fere sunt eadem in utraque lege. Nam illa quoque quæ videntur in Evangelio esse gravissima de dilectione inimicorum, et de concupiscentia cohibenda, inveniuntur Exodi XX, Prov. XXV. et alibi, ut sanctus Augustinus demonstrat in libro contra Adimantum, cap. 3. et lib. XIX, contra Faustum, cap. 28.

Itaque non ait Dominus Matth. V. Nisi abundaverit justitia vestra plusquam legis et Prophetarum, sed plusquam Scribarum et Phariseorum, ut videlicet significaret, se non tam addere velle ad onera præceptorum legis, quam tollere de medio corruptelas scribarum et phariseorum. Quod si quæ graviora præcepta addidit, aut certe magis expresse tradidit, ut de non dimittenda uxore per libellum repudii, et si quæ sunt alia; non debent illa gravia videri populo Christiano, etiamsi gravia viderentur populo Judæorum. Nam non est grave viro forti, quod puero delicato importabile solet videri.

CAPUT V.

Refellitur falsa libertas Christiana, et inde probatur necessitas operum.

Disseruimus hactenus de falso et vero discrimine legis et Evangelii; nunc de falsa et vera libertate Christiana breviter disseremus. Nam hoc est alterum caput, unde magna ex parte dependet quæstio de necessitate operum ad salutem.

Igitur adversarii, ut supra diximus, in eo

(1) Rom. VIII, 15; Gal. IV, 24; II Tim. I, 7 — (2) Act. XV, 40; Mat. XI, 29.

ponunt Christianam libertatem, ut nulli legi subjecti sint in conscientia, et coram Deo; et Christum habeant pro redemptore, non pro legislatore; Moses autem cum suo Decalogo nihil ad eos pertineat. Nos vero cum Tridentino Concilio in sess. 6. can. 19. 20 et 21. docemus, homines Christianos et justificatos, non esse liberos ab obligatione præceptorum Dei et Ecclesiæ, et eam, quam Hæretici prædicant, non esse Christianam, sed profanam libertatem, et verius peccati, ac diaboli voluntariam servitutem.

Primum, id probamus ex iis testimoniis, quæ docent, Christum verum fuisse Legislatorem. Neque enim negare audebunt, se legi subjectos esse, si Dominum suum Legislatorem fuisse negare non possint, Isaias quidem cap. XXXIII. de Salvatore dicit: *Dominus Jdex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster, ipse salvabit nos.* Ac ne ad tropum aliquem forte confugiant, audiamus Mosem in Deuter. cap. XVIII. *Prophetam, inquit, de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus, ipsum audies* (1).

Hunc Prophetam, Christum esse, testatur Apostolus Petrus Actor. III. et S. Stephanus Act. VII. sed apertissime Apostolus Paulus Christum confert cum Mose, ut Legislatorem cum legislatore. Nam in epist. ad Hebræos cap. 2. dicit, sermonem factum per Angelos in manu Mosis, ita firmum fuisse, ut omnis inobedientia dignam receperit vindictæ retributionem. Et inde colligit, multo magis timendum esse nobis, si sermonem filii Dei contempserimus. Et cap. 3. dicit, Mosem fidelem fuisse in tota domo Dei tamquam famulum, Christum autem in domo sua tamquam filium. Et cap. 5. dicit, Christum factum esse omnibus obedientibus sibi causam salutis æternæ. Obedientia autem proprie Legislatori debetur, et cap. 12. ita concludit: « Videte ne recusatis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus, cuius vox movit terram tunc, nunc autem promittit dicens: « Adhuc semel et ego movebo non solum terram, sed et cœlum ».

Præterea Christum esse regem nostrum omnis Scriptura testatur, Psal. II. *Ego autem constitutus sum rex ab eo.* Matth. II, 6.

(1) Isai. XXXIII, 22; Deut. XVIII, 15.— (2) Psal. II, 6; Matth. II, 6; Luc. I, 33; Apo. I, 5; ibid XIX, 16; Isai. XXXIII, 22; Prov. VIII, 16.— (3) Isai. II, 3; Mich. IV, 2.— (4) Mat. XI, 30.— (5) I Cor. IX, 21; Gal. VI, 2.

Ex te exiet dux, qui regat populum meum Israel. Luc. I. *Et regni ejus non erit finis.* Apocal. I. dicitur: *Princeps regum terræ.* Et cap. XIX. *Rex regum, et Dominus dominantium.* At Regis proprium est leges condere; ideo siquidem Isaiæ XXXIII. conjungitur, *Legifer noster, cum verbis, rex noster;* et Proverb. VIII. dicitur: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt* (2). Christus igitur Rex noster legem aliquam sine dubio nobis dedit, per cuius custodiam obedientiam illi præstemus.

Secundo, idem probamus ex testimoniis, quæ docent, Evangelium esse quamdam legem. Nam Isai. II. et Michææ IV. dicitur: *De Sion exibat lex et Verbum Domini de Hierusalem* (3). Quæ verba intelliguntur communiter de prædicatione evangelica, quæ ab urbe Hierosolyma per totum mundum propagata est. Vide Augustinum lib. XVIII de Civ. Dei cap. L. et Isai. XLII. « Ecce servus meus, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus profert ». Et paulo post: « Et legem ejus insulæ expectabunt ». Et cap. 51. « Attendite ad me popule meus, quia lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet ».

Pertinere autem hæc ad Christum, perspicuum est ex verbis sequentibus: *Prope est iustus meus, egressus est Salvator meus.* Et Matth. II. cum Dominus ait: *Jugum meum suave est, et onus meum leve* (4). Nonne aperte legem aliquam se attulisse testatur? neque enim promissio, exhortatio, instructio, jugum et onus dici possunt. Sed lex, quæ obligat, et obligando premit et gravat, recte dicitur jugum. Unde Actor. XV. et ad Gal. V. lex Mosis jugum ab Apostolis appellatur. Præterea B. Paulus I Corinth. IX. *Is, inquit, qui sine lege erant, factus sum tamquam sine lege essem, cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi.* Et ad Galat. VI. *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (5).

Tertio, probatur ex particularibus et propriis Christi mandatis. Nam in primis mandatum Christi in Evangelio contineri, de suscipiendo Baptismo et Eucharistia, nemo negare potest, cum tam aperte scriptum legamus, Joan. III. *Nisi quis renatus fuerit ex*

aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei, Et Joan. VI. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (1). Deinde lex prohibens libellum repudii, et præcipiens, ut vir uxorem non dimittat, neque uxor virum, nisi in causa fornicationis, et si dimiserint, hac etiam de causa maneat in nupti, vel conjugibus reconcilientur; propria Christi est, de qua sic loquitur Apostolus I ad Corinth. VII. *His, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere in nuptam, aut viro suo reconciliari.* Et Matth. ult. Dominus ipse aliqua se mandasse, et ab omnibus esse custodienda testatur his verbis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quæ mandavi vobis* (2).

Quarto, probatur ex testimoniis, quæ docent, legem Mosis, quæ ad mores pertinet a Christo et Apostolis approbatam, et fidelibus ad observandum traditam. Nam id in primis perspicuum est ex cap. V. VI. et VII. Matth. ubi Dominus approbat, et explicat legem Mosis. De qua re diximus supra in cap. I. et II. Deinde, idem patet ex cap. XIX. Matth. X. et Marc. XVIII. Luc. Ubi Dominus iterum approbat Decalogum Mosis, ac dicit, eam legem viam esse ad vitam æternam. De quo etiam diximus cap. I. Tertio, probatur evidenter ex eo, quod idem Dominus testatur Matth. 22. præceptum dilectionis esse primum et maximum mandatum, et ab eo legem, Prophetasque pendere, quippe quod virtute Decalogum, et omnes alias leges, et præcepta comprehendit; et hoc ipsum mandatum ita commendat Apostolis, et per eos Ecclesiæ universæ, ut dicat Joan. XV. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Et rursus: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Et Joan. XIII. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem* (3). Ubi novum appellat, tum quia renovari illud volebat, tum quia illud unum diligenter servatum homines facit novos.

Non solum Dominus, sed etiam Apostoli mandata Decalogi, et ipsum dilectionis præceptum, in quo totus Decalogus (ut diximus) continetur, fidelibus omnibus diligenter, assidueque commendant, quod certe non face-

rent, si decem præcepta non pertinerent ad Ecclesiam Christianorum. Rom. XIII. *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur, plenitudo ergo legis est dilectio.* Idem ad Ephes. VI. *Honora, inquit, patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione* (4).

Apostolus quoque Jacobus cap. II. *Si tamen, inquit, legem perfectis regalem secundum Scripturas, Diliges proximum tuum sicut te ipsum, bene facitis; Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores. Quicumque autem totam legem servaverit, offendati autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit, non mœchaberis, dixit et, non occides, quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.* (5). Vides quam aperte Jacobus Decalogum Mosis ad nos quoque pertinere demonstrat?

Porro S. Petrus in epist. I. cap. I. et IV. et S. Joannes in tota I. epist. immo etiam in II. et III. nihil sæpius admonent, quam ut dilectionis præceptum implere satagamus, scientes videlicet in eo præcepto, ut sæpe diximus, universalem legem plenissime contineri.

Quinto, probatur ex testimoniis illis, quæ docent, legem Mosis moralem non esse per fidem Christi, et Evangelium abrogatam, Matth. V. *Nolite putare quoniam veni solvere legem, non veni solvere, sed adimplere* (6). Quomodo vero se dixerit impleturum, explicat in sequentibus, ubi perfectissime servari mandat præcepta legis, non occides, non mœchaberis et similia. Et Apostolus ad Rom. III. *Quid ergo legem destruimus per fidem? absit, sed legem statuimus* (7). At si prædicatio Evangelica solam fidem ita docet, ut opera non requirat, nec legem ullam proprie dictam admittat, quid ni verum sit, legem destrui per fidem? quid enim est, legem destrui, nisi vim obligandi ab ea tollere? idem quoque Apostolus ad Rom. VII. *Itaque, inquit, lex quidem sancta, et mandatum sanctum, justum et bonum.* Et ibidem: *Consen-*

(1) Joan. III. 3; Joan. VI. 54. — (2) I Cor. VII. 40; Matth. XXVIII. 49. — (3) Joan. XV. 14; ibid. 17; Joan. XIII. 34. — (4) Rom. XIII. 8; Eph. VI. 4. — (5) Jacob. II. 8. — (6) Mat. V. 17. — (7) Rom. V. 31.

tio legi, quia bona est; Item: *Ego ipse mente servio legi Dei.* Et cap. VIII. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum, ut justificatio legis impleatur in nobis* (1). Quis igitur credat, legem illam a Christo esse sublatam, quam sanctam, bonam et justam appellavit Apostolus, et de peccato damnavit peccatum, ut eam videlicet, ipso adjuvante, implere possemus.

Sexto, probatur ex testimoniis, quæ habent nomen debiti, ut Rom. VIII. *Debitor sumus non carni, ut secundum carnem vivamus etc.* I Joan. IV. *Nos debemus alterutrum diligere.* I Joan. II. *Qui se dicit in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.* I Joan. III. *nos debemus pro fratribus animas ponere.* Luc. XVII. *Quod debuimus facere fecimus* (2).

Septimo, probatur ex iis, quæ docent, Christum esse judicem totius mundi, et in ultimo die secundum opera uniuscujusque, vel pœnas, vel præmia distributurum. Id enim habetur expresse Matth. XXV. Act. X. et XVII. Rom. II. et XIV. I Petri IV. et alibi passim. At quale judicium erit, si nullæ sunt leges, ex quarum prævaricatione damnari, vel observatione coronari mereamur? quod enim quidam ex novatoribus dicunt, in judicio extremo examen futurum de sola fide, manifeste pugnat cum verbis Domini, qui Matth. XXV. justis dicturum se esse testatur: *Possidete paratum vobis regnum, esurivi enim et dedistis mihi manducare etc., injustis autem; Ite maledicti in ignem æternum, esurivi enim, et non dedistis mihi manducare etc.* In quo loco (ut notat sanctus Augustinus in lib. de fide et operibus, cap. 15.) nulla mentio fidei facta est, ut intelligeremus, Christianis, qui damnantur, non fidem, sed opera defuisse. Id quod etiam apertissime docet Apostolus II Corinth. V. cum ait: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, pro ut gessit, sive bonum, sive malum* (3).

Octavo, probatur ex testimoniis Patrum. Clemens in lib. VI. Apostolicarum constitutionum, cap. 19. *Cognoscitis, inquit, Deum per Christum, universamque ejus dispensationem a principio institutam, quod dedit nobis legem simplicem ad auxilium naturalis*

legis, puram, salutarem, sanctam, in qua et proprium nomen reposuit, perfectam, absolutam, decem præcepta continentem, reprehensione carentem, convertentem animas etc. »

S. Augustinus in libro de spiritu et littera, cap. 14. « In illis, inquit, decem præceptis, excepta sabbati observatione, dicatur mihi, quid non sit observandum a Christiano ». Et infra: « Quid horum quisquam dixerit, non debere servare Christianum? » Item lib. X. contra Faustum, cap. 2. « Judæo dicenti mihi, cur tenes vetus Testamentum, ejus præcepta non servas? Respondeo, servari a Christianis etiam ex ipsis libris præcepta vitæ agendæ; præcepta autem vitæ significandæ tunc recte observata, cum prænucciabantur, quæ nunc revelata sunt ». Item tractat. 3. in Joan. « Illa, inquit, omnia (moralia præcepta) nobis magis præcipiuntur, et observanda sunt ». In Psalm. LXXIII. non procul ab initio: « Si discernimus, inquit, duo Testamenta vetus et novum, non sunt eadem sacramenta, non eadem promissa, eadem tamen pleraque præcepta. Nam non occides, non mœchaberis, non furaberis, honora patrem et matrem, non falsum testimonium dixeris, non concupisces res proximi tui, non concupisces uxorem proximi tui, et nobis dictum est, et quisquis ea non observaverit, deviat, nec omnino dignus est, qui ascendere mereatur montem sanctum Dei ». Et infra: « Discussa ergo præcepta, aut eadem omnia inveniuntur, aut vix aliqua in Evangelio, qua non dicta sint a Prophetis, præcepta eadem, sacramenta non eadem ».

S. Leo serm. 6. de jejunio decimi mensis: « Ex ipsa, inquit, ecclesiastica devotione demonstratur, quod Dominus Jesus Christus non venit legem solvere, sed adimplere. Cessantibus enim significantibus, quibus Salvatoris nostri nunciabatur adventus, et peractis figuris; quas abstulit ipsa præsentia veritatis, ea quæ vel ad regulas morum, vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in eadem apud nos forma, in qua sunt condita perserverant; et quæ utriusque Testamento erant congrua, nulla sunt commutatione variata ». Idem in serm. 14. de passione Domini; « Sicut, inquit, nemo est creditur, cui dona neganda sint gratiæ, ita ne-

(1) Rom. VII. 12; ibid. 46; ibid. VIII. 3. — (2) Rom. VIII. 12; I Joan. IV. 11; I Joan. II. 6; ibid. III. 16; Luc. XVII. 10. — (3) Matth. XXV. 34; II Cor. V. 10.

mo est, qui non sit Christianæ debitor disciplinae. Quia et si remota sit mysticæ legis asperitas, voluntariæ tamen observantiæ crevit utilitas. Ubi vox illa, « voluntariæ », non opponitur debitæ, alioqui secum ipse pugnaret, sed opponitur asperæ et servili, ut fusius in sequenti capite declarabimus. Unde subjungit ibidem sanctus Leo: « In præceptis moralibus nulla prioris Testamenti decreta reprobata, sed evangelico ministerio multa sunt aucta, ut perfectiora et lucidiora essent dantia salutem, quam promittentia Salvatorem ».

Possent ejusmodi testimonia adhuc multa proferri, sed non est opus, cum obvia sint, et legentibus passim occurrant. Id unum addam, nonnullos ex Patribus non solum obiter hoc dixisse, sed etiam studiose collegisse ex utroque testamento præcepta moralia, quibus ad perfectionem justitiæ informari debeat vita fidelium. Vide Clementem Alexandrin. lib. 3. Pædagogi, cap. 10. Cyprianum lib. III. ad Rufinum, Augustinum in Speculo, qui habetur tom. 9. non videtur esse Augustini. Simile opus meditabatur quoque sanctus Basilius, sed augustiis temporis exclusus, non collegit præcepta moralia, nisi ex Testamento novo, ut ipse testatur in præfatione moralium.

Nono, probatur evidentissima ratione. Nam vel homo Christianus et justus peccat, cum moralia legis veteris præcepta transgreditur, vel non peccat. Si peccat, igitur non est liber ab ejus legis observatione. Quid enim est peccatum, nisi prævaricatio legis? non autem prævaricatur legem, qui non habet legem. Nam ubi non est lex, nec prævaricatio; proinde si lex illa moralis Testamenti veteris non est homini Christiano et justificato vere lex, non peccat, dum eam non servat: vel si peccat, igitur est illi vere lex: Denique fingi non potest, quomodo peccet, qui liber sit a lege. Quod si non peccat, igitur falsum est quod sectarii omnes dicunt, omnia opera hominis justi esse peccata mortalia. Item si non peccat, igitur vera est Libertinorum hæresis, quod nihil sit peccatum, nisi falsa imaginatio; et laxandæ sunt omnibus habenæ, ut unicuique liceat quod ei libet. Ista videlicet libertas est christiana, quam sectarii frædicant, libertas omnia flagitia sine scrupulo perpetrandi, libertas carnis, non spiritus, filiorum diaboli, non filiorum Dei, libertas denique omni servitute miserior.

Dicent fortasse, non ita se intelligere libertatem a lege quasi prævaricatio legis non sit peccatum, sed quod fidelibus ea prævaricatio non imputetur. Hunc enim sensum videntur efficere verba Lutheri in lib. de votis Monasticis, ubi dicit, in eo consistere libertatem, quod pia conscientia sit libera ab omnibus operibus, non quidem faciendis, sed accusantibus et defendentibus, quia nulla sunt tam mala, quæ possint illum accusare et damnare, nulla tam bona, quæ eum queant defendere et justificare. Et in 2 cap. ad Galat. ubi agnoscit hominem peccare, sed dicit, nihil sibi esse cum lege, quia non potest eum damnare. Eundem sensum faciunt verba Calvinii lib. III. Institut. cap. 19. §. 4. et 7. ubi dicit, libertatem in eo consistere, ut faciamus opera non tanquam examinanda ad regulam legis, sed tanquam acceptanda qualiacumque sint.

At si ita dixerint, fateri debent, vere et proprie legem ad se pertinere, ejusque jugo se quoque esse subjectos: nam si vere peccant, licet peccatum eis non imputetur, vere prævaricantur legem. Proinde vere legem habent. Non enim vere prævaricatores dici possent, nisi legem haberent; neque vere peccarent, nisi legem prævaricaretur.

Præterea quæro, utrum prævaricatio legis, ut exempli gratia, homicidium, adulterium, perjurium, cum fide simul habitare possit, vel non possit: nam si non potest, igitur prævaricatio illa non solum est peccatum, sed imputatur. Quomodo enim non imputatur, si excutit fidem? an etiam infidelibus prævaricatio non imputatur? si vero potest prævaricatio legis habitare cum fide; ut satis aperte indicat Lutherus, cum dicit in lib. de Captiv. Babylonica, cap. de Baptismo, nulla peccata nocere posse baptizato, quia si stet, vel redeat fides, in momento absorbentur; ubi significat posse stare fidem. Et lib. de votis Monasticis, ubi dicit, credentis nulla esse tam mala opera, quæ eum accusare vel damnare possint. Igitur non sunt necessaria opera bona, etiam ut fructus et signa fidei? igitur nulla est omnino ratio, cur sint scelera et flagitia fugienda, nisi forte ex metu supplicii temporalis? Vides ut semper ad id revolvatur error sectariorum, ut aditum patefaciant vitiis et peccatis, et tamen passim vociferantur, sibi magnam a Catholicis injuriam fieri, quasi negligant opera bona.

CAPUT VI.

Asseritur vera libertas Christiana, et inde quoque probatur necessitas operum bonorum.

Vera igitur Christiana libertas ex Evangelicis, et Apostolicis litteris, tribus in rebus sita esse cognoscitur, in libertate a peccato et morte, in libertate a jugo legis cæremonialis et judicialis Hebræorum, et a dominio, et reatu legis naturalis atque moralis.

De libertate a peccato et morte, quæ ex peccato sequitur, loquitur Dominus Joan. VIII. Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. Nam paulo ante dixerat: Qui facit peccatum, servus est peccati. De eadem loquitur Apostolus ad Roman. VI. Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ; nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam (1). Et cap. 7. idem Apostolus hoc rursus confirmat similitudine mulieris, quæ per mortem viri liberatur a servitute ejusdem viri, ut possit libere cum alio viro conjungi. Tres enim personæ in ea similitudine introducuntur, persona mulieris, persona viri morientis, et persona alterius viri, cui rursus mulier nubit.

Applicando autem similitudinem, per mulierem intelligit Apostolus homines baptizatos, et justificados: per virum, cui rursus mulier nubit, intelligit Christum, per virum morientem, a quo mulier liberatur, intelligit peccatum, et mortem: sed reddita est obscura sententia Apostolica, quoniam cum debuisset dicere, peccatum esse mortuum, ipse contra dixit, nos mortificatos esse per mortem Christi. Nam in idem recidit, sive nos moriamur peccato, sive peccatum moriatur nobis. Obscurior etiam sententia reddita est, quoniam cum debuisset saltem dicere, nos mortificatos esse peccato, vel morti, dixit, nos mortificatos esse legi, quoniam lex (ut infra explicat) ex occasione peccatum fovebat et augebat, et nos ipsi peccato, ut conjugem viro, subjectos tenebat.

Quod autem intentio Apostoli fuerit dicere, nos per Christi mortem liberatos esse a peccato, et in ea similitudine peccatum tenere locum viri morientis, perspicuum est ex illis

verbis: Itaque fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo; cum enim in carne essemus, passionibus, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificaremus morti. Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ. Ubi sicut ex eo, quod dicit, ut fructificemus Deo, intelligimus, Deum esse secundum virum cui nubit anima, et cui fructificat, proles bonorum operum pariendo; sic etiam ex eo, quod dicit, ut fructificaremus morti, intelligimus mortem esse priorem virum cui copulata erat anima et cui fructificabat, proles malorum operum pariendo. Vide sanctum Augustinum copiose hunc locum explicantem in lib. LXXXIII. quæst. 66. et lib. xv. contra Faustum, cap. 8. ubi monet, hominem baptizatum dici mortificatum legi, non quia sit mortuus legis justitiæ, sed legis reatu et prævaricationi, quam lex per litteram, cum gratia defuit, faciebat.

Ex hac prima libertate colligimus, adversarios graviter errare, cum dicunt, peccatum in hominibus justificatis semper vivere, sed non imputari. Nam si ita esset, non essemus vere et proprie liberati, neque essemus peccato vere mortui, sed adhuc fructificaremus morti, et serviremus in vetustate litteræ, non in novitate spiritus.

Jam vero de libertate secunda, quæ est ab oneribus legis cæremonialis et judicialis, exstant etiam apertissima testimonia. Hoc enim est, quod clamat Apostolus Petrus Actor. xv. Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus. Et Apostolus Paulus ad Galat. II. Nec Titus, inquit, compulsus est circumcidi, cum esset gentilis. Sed propter falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitute redigerint. Et cap. IV: Quomodo iterum convertimini ad infirma, et egena elementa, quibus denuo servire vultis. Et cap. V: State et nolite iterum jugo servitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Et ad Hebr. VII: Translato enim sacerdotio necesse est, ut et legis translatio fiat. Et ibidem: Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit

(1) Joan. VIII, 36; ibid. 34; Rom. VI, 20.